

1978

N

11

[5711]





AD  
VIRVM ILLVSTREM  
DANIELEM WILHELMVM  
TRILLERVM D.

CONSILIARIVM AVLICVM REGIVM  
MEDICINAE PROFESSOREM PRIMARIVM  
IN ACADEMIA VITTEBERGENSI


QVERELA SEXTA  
DE BELLII HVCVSQVE APVD NOS GESTI  
CALAMITATIBVS

AD PACIS VSQVE AVRORAM  
POSTREMIS SENESCENTIS ANNI MENSIBVS  
DIVINO LVMINE EFFVLGENTEM

D. G. G. RICHTERI.

Kapsel 78 N 11 [10]

AK



**S**exta querelarum, quae Te TRILLERE salutat,  
 Ipsa suae augurium spemque salutis alit.  
 Cessarunt tinea, quae tot pupugere per annos,  
 Tam rigido nostrum pungere dente sinum.  
 At, dum vexat adhuc punctas sitis ignea venas,  
 Nos nondum totos conualuisse puta.  
 Sitne dies, dubitant multi, an dilucula tantum?  
 Nube regi aurorae lux noua saepe solet.  
 Naufragii tabulae, squalor, penuria rerum  
 Triste quid, ipsa etiam somnia nostris, habent.  
 In memem haec reuocant, qua bile excanduit hostis,  
 Siftitur & veteris scena nonique mali.  
 At quo iustitiae passi sumus ista colore?  
 Irae cur fuimus victima France tuae?  
 Non Martinica est, non est haec Canada tellus,  
 Non hic Laurenti diuitis vnda fuit.  
 Quaeque Eridis iactata manu sunt aurea poma,  
 Non sinus hic nosser, sed nouus orbis, habet.  
 Hic seuit lites praedaeque accendit amorem.  
 France manum immittis, Tuque Britanne tuam.  
 Quae non immisit, tamen haec incendia belli  
 Ad se transferri patria nostra dolet.  
 Nempe sua a nobis repetunt dispendia Franci,  
 In nos, ceu fontes, acrius arma mouent.  
 Nudum est Westphalicae pacis custodia nomen,  
 Haec dici in distans actio tota potest.  
 Sic capitis noxas medici manus arte reuellens  
 Cantbaridum emplastris vrere crura solet.

Haeserat asperior tribulis praefectus in vrbe.  
 Tale supercilium, credo, Catonis erat.  
 Frigidior glacie vidit madida imbribus ora,  
 Aversa calidas abnuuit aure preces.  
 Deque suis placitis lata vix vngue recessit,  
 Obsequii meritum non rationis amans.  
 Quas dedit ore minas! quo contudit omnia festu!  
 Quem sparsit nubes frontis opaca metum!  
 Si eiuem audiuit, sensus raro impulit aequi,  
 Nec genua orantis supplice flexa situ;

Verum

Verum ut utrinque sui nutus reuerentia staret,  
 Perculit haud impar nosque suosque rigor.  
 Vtraque pars metuit, sed amavit neutra, nec ipse  
 Rem magni pretii duxit amore frui.  
 Nomen habet vituli, sed produunt cornua taurum.  
 Qui vulcere cupis, cornua nonne times?  
 Desit has nobis vis fati insigere poenas,  
 Immisitque aliis hasque virumque locis.  
 Si vitulo admugit sua mater ab vberibus raptis,  
 Haud ita Gottingae nascitur inde dolor.  
 Vberibus ab hoc vitulus suxit pro lacte cruorem,  
 Sat tulit bos dentes vberibus inane diu.  
 At si, quod nuper factum est, is forte rediret?  
 Horreo, quid tandem, si quoque coela ruant?  
 Iam, puto, nil refert, ignoscat Mutius annon?  
 Det Deus atque pudor mollia corda seni!  
 Candor non bilis verum mihi suggerit, illud  
 An commentitium supprimat umbra mali?  
 Quin proprios vitulum cultus agnoscere credo,  
 Credo suos mores, quos habet, ipse probat.  
 Dulcibus blandiloquae fastidit munera linguae,  
 Risum ipsi laudum prodiga turba parit.  
 Si premere est meritum, si laus est una rigoris,  
 Quis plausum & laudes plus meruisse potest?  
 Parcere non equidem iussus tamen addere duris  
 Dura magis sciuit Corficus ille flix.  
 Tam dura expedit rigide Duvernus. Imis  
 Haec impressa animis bina sigella manent.

Exactae hoc anno recitanda est fabula vitae.  
 Non una est facies. Squalida prima fuit,  
 Altera spem meruit, redcurrentem tertia fulsit,  
 TRILLERE, hinc passim dissona facta legis.  
 Nunc feruere meos nunc clangescere planctus  
 Sentis. Gestis foris praetercunda puto.  
 Lussi tragicam, mens horret, Russiam scenam,  
 Qua nec maiestas res tibi sacra fuit.  
 Culta Europa nihil magis inuiolabile nouit.  
 Verum huc me verto, quo mea meta vocat.

\* \* \*

Elapsi

\* \* \*

*E*lapsi nuper dum fata remeior anni,  
 Moesta oculos primi veris imago subit.  
 Non brumae posuit senium, non induit illa  
 Aetatis ridens & iuvenile decus.  
 Excisae an possunt reuirescere brachia stirpis,  
 Ut rursum umbras explicet alta comas?  
 Vtique autis instaurans dulci modulamine cantum  
 Ad nidum pullos instruat ore suos?  
 Heu nusquam elucet renouatae gratia formae!  
 Heu ubi sunt, quas non fregerit hostis, opes?  
 Surgere an in campis tot gramina mille colorum  
 Vestivique nouis floribus arua putas?  
 An gaudere suis sine cultu ditibus horti,  
 Ferre suas Veneres sole calente queunt?  
 Iam veteri agricolam vix uti comere cernes,  
 Dum sua tellurem dona negare timer.  
 Is, qui possedit tot agrorum ingera quondam,  
 Semina vix in eos, quippe caduca, serit.  
 Foenoris an dubiam sulcis spem credat aratis?  
 Ceruicesque boum sub iuga prisca trahat?  
 Hoc quoque, quod seritur, si forte extrudit aristas,  
 Creditur hostili sub pede planta mori.  
 Nil nostra haec spirat de messibus aura Sabaeis,  
 Sub sterili emergit carduus asper humo.  
 Sic vis annonae maciesque domestica crescit.  
 Quis tenuem haud metuit rem vacuamque domi?  
 Prodigus aduerso frugali viuere lege,  
 Irrisaeque redit sobrietatis amor.  
 Quos aluit seruos, tantum non abdicat omnes,  
 Missos, dum desunt esca locusque, facit.

Qui mihi sum visus famulo non posse carere,  
 Nunc illo didici posse carere senex.  
 Haesi dudum anceps, hominem qua sede locarem,  
 Quo lecto? heu ubi sunt pristina iura domus?  
 Nunc mihi lex vitae est, aliis imponere nunquam,  
 Quae ferri his humeris res onerosa potest.  
 Nam mores etiam corrumunt crimina Martis,  
 Seruusque officii vincula iusta fugit.

Dum

Dum gemina in praesens nobis ancilla ministrat,  
 Vix callosae aures ad mea iussa patent.  
 Vociferor multum, Francis vox sufficit una,  
 His agiles offert aemula cura manus.  
 Quid mirum? vox est anno in gutture rauca,  
 Sauius at iuuenis tinnit in ore viri.  
 Cetera, quis nescit? dant vela vocantibus Euris.  
 Tutum est, lenito, ne premat, hoste frui.  
 Cum minor ac culicum talis custodia vix sit,  
 Omni seruitio praestlat egere parum.  
 An querar ammonam? video ceu Tantalus undas,  
 Quoque satis laute viuatur, esse domi.  
 Grex gallinarum est, cui crebro interserpt anser,  
 Admygit vitulo vacca torosa suo.  
 Regnat honor laticum in cellis, Semeleia proles,  
 Implent Gnostiacis aemula vina cados.  
 Assa coqui elixis sociant, conchyliis turdis,  
 Et septa asparagis vndique squilla placet.  
 Haec video inferri Francorum fercula mensis,  
 Dum nostras onerant brossica, beta, sabae,  
 Et caro maxillas hebeti sub dente fatigans,  
 Messorum quam vix illa dura coquunt.  
 Qui pinguem dederat, pro macra nunc petit aeris  
 Triplum, tunc molli, nunc petit ore rudi.  
 Entorem dubium verbis incessit amaris:  
 Quis te pauperior soluere nolit idem?  
 Nonne etiam pistor scriblitas, liba, placentas,  
 Quo pretio panem nunc emis, ante dedit?  
 Quisquis eges, tantis praebere rationibus aurem,  
 Pondera si fallunt, nec pete iusta magis.  
 Si luis erroris poenas, forte eluit alius,  
 Dum mala sub vigili tormina nocte creat.  
 O bene! si solitus paucis & vilibus uti,  
 His, quibus orbaris, sponte carere velis.  
 Nil gula fastidit, nec conditura ciborum,  
 India quam iactas, aequiparanda fami est.  
 Cura gulae parua est, longe aerumnosior instat,  
 Exaeto bis vernis mensibus aere graui.  
 Enormem exhaustis placuit praescribere censum,  
 Unde spei in multis ultima fulera tremunt.

Mens

Mens auſtera iubet, frons nulla imbuta pudore,  
 Quis ſilicem planctus quis gemitusque mouet?  
 Quos bene numatos delatio fingit & error,  
 Quosue aliquo recreant arsque laborque lucro,  
 Sexaginta homines ſqualentis carceris umbra  
 Sub miſerae vitae lege iugoque tegit.  
 Totque hominum mixtus vehit baſtius acre venenum,  
 Spurcitiâ anguſti eſt vix cohibenda loci.  
 Tantum non omnes verſo trahit ordine morbus,  
 Quos exire hodie, eras remeare iubent.  
 Hebdomas elapſa eſt iam quinta, nec elicit illa  
 Ex his puniçibus, quam ſitis urget, aquam.  
 Ad contenta domus clauis pars pronior offert,  
 Circiter his verbis: i modo cuncta rape!  
 Nos ſimul atque ſemel melius furor opprimit vnus.  
 Morborum eſt atrox, tabe perire, genus.  
 Sic ſacra templorum quoque vaſa oblata fuerunt,  
 In pignus merces nulla taberna negat.  
 De rigide impoſitis quis ſupplex detrahit aſſem?  
 Quae lamenta hoſtis ſeſtere corda queunt?  
 Horum aliquid ſciuit Wülſeni dextra leuare,  
 Partita incumbens tam ſapienter onus.  
 Exiget at ſummam veniens mox menſis eandem,  
 Sub titulisque ſciat poſcere plura nouis.  
 Quilibet expertus nomen iam carceris horret,  
 Et caute elapſus iudicis ora fugit.  
  
 Ver abit & pacis nunc fama obmutuit omnis,  
 Priſta nec auditur fabula plena ſpei.  
 Auribus imbibimus, quidquid fert rumor, auaris;  
 At noſtram haud auſert haec alitura famem.  
 Omnia ne mergat ſenſum illa vorago, timendum eſt;  
 Si modo, quae tandem mergere poſſit, habet.  
 Bella nouenarum ſunt pleçtro inimica ſororum,  
 Auſugere has metus eſt ex Helicone Deas.  
 Dat ſtudioſorum decades vix quinque notorum  
 Hoc ver, vicenas circiter ante dedit.  
 Vt non mellificat ſtridente ſub aere, ſed tunc  
 Triſte aliquid ſecum turba ſuſurrat apum;  
 Muſſitat haud aliter fremebundis Muſa ſub armis,  
 Verbaque vix audet dimidiata loqui.

Utque



Vique auis aiucois, aomum later illa tenebris,  
 Mellaque doctrinae felle remixta legit.  
 Nos iam Gesnerus, Wachnerus, Frantzius atque  
 Mayerus, docti deseruere viri.  
 Martis ad exemplum rupit tot flamina Parca,  
 Tempore pacifico non puto rupta forent.  
 Nam curae excludunt ad sera crepuscula somnum,  
 Nec noctu, ut parcat rodere, cura silet.  
 Tota immersa suis vitae squaloribus urbs est,  
 Morbonae soboles pullulat inde frequens.  
 Vix inter primos pax ipsa medebitur annos,  
 Tanta immunditie templa domusque scatent.  
 Tabifica haec Muls non est spirabilis aura,  
 Qua velut obtundi mens cerebrumque solet.  
 Vno equidem ESTRAEVS Dux & SVBISIVS ore  
 Testantur Domini mitia iussa sui;  
 Litera, quam mittunt, generosi pectoris inque  
 Musas procluis splendida signa gerit.  
 In tantum hinc Regem plenusque favore ministros  
 Aestuat & pietas nostra timetque queri.  
 Plus inferre onerum iactata licentia belli,  
 Castalidum poterat plus violare decus;  
 At solet e variis, quae Regum gratia confert,  
 Nunc hoc nunc illud demere dura manus.  
 Nam nisi restricto sensu concessa coarctet,  
 Seruitio id Domini fingit obesse sui.  
 Damni vmbra metuit, non quae sit gloria, curat,  
 A casto Aonidum vim remouere eboro.  
 Puris emergens scatebris hinc turbida valde  
 Tam temere admixtis sordibus vnda fluit.  
 Luger adhuc aditus in templa suasque palaestras  
 Mula interclusas, & gemit ante fores.  
 Quae si quando patent, millenos disputat inter  
 Frumenti saccos, rauca domumque redit.  
 Nec proprias intra videt aedes integra iura,  
 In res arbitrium quaslibet hostis habet.  
 Militis hac numerum spes est aelate leuari.  
 Inruit haec, urbem plus tamen ille grauat.  
 Spem, quae reslabat, tenuem satis, opprimit ogri,  
 Immatura cadit falce rescisa seges.

Heu

Heu quae barbaries messem rescidit in herba?  
 Nam Deus hanc vno mense daturus erat.  
 Si per tempus adhuc tantillum illaesa stetitset,  
 Annonae instantis triste leuasset onus.  
 Tam ter vicanos currus hac fruge refertos  
 Imperat in quemuis praetor adesse diem.  
 Hos nosse Cereris mox exhaurire necesse est  
 Exigua cultum sub satione sinum.  
 Dantur equis, nec ab his frumenta impune vorantur.  
 Quae male sol coxit, non bene corpus alunt.  
 Morbus equos igitur, quosdam mors corripit ipsa,  
 Pabula scito hominum sacra fuisse fami.  
 Vindicat hoc Natura nefas, fere semper iniquis  
 Belli decretis est sua poena comes.  
 Si secus ac sperat, qui nunc ruit hostis ad arma,  
 Sortem habet, an talem se meruisse neget?  
 Prima Grebensteini fallunt molimina Martis,  
 Post fusa a nostris agmina Franco fugis.  
 Quique tuam causam contra nos Saxo tuetur,  
 Hunc Lutterbergae vertere terga vides.  
 Omnis baud laeti dabit haec prolysis signum,  
 Nec tibi plus decoris nostra ruina dabit.

Accidit id subito, fieri quod posse negabam.  
 Quam praeceps hostes expulit urbe pavor!  
 Quinctilis sextum numerat decimumque dierum,  
 Quo prope & magnis passibus hostis abii.  
 Mane quidem, quotquot fuerant, sol viderat ortus,  
 Occiduis nullum vidit in urbe virum.  
 Sunt, ut nos belli est, armamentaria cuncta  
 Exhausta, & valli pars quoque strata prius,  
 Et deleta nitri seboles ac sulphuris omnis.  
 Lex Cererem & Bacchum mergere iussit aquis.  
 Damnatae tamen est pars eluctata farinae,  
 Inque usum, o civis! cedere visa tuum.  
 At plene hausisset si Leina Deumque Deamque,  
 De rebus fuerat plus meritura tuis.  
 Improbata vota vocas, mox discas iusta fuisse.  
 Verum hebetes oculos fata futura latent.  
 Nunc equidem obliuibus sumtis nos deserit hostis,  
 Sic abiens, ut qui non rediturus erat.

An

An sacras igitur pia víctima fertur ad aras?  
 Et Deus alme tuos volumur ante pedes?  
 Parcere quae coepit, mollitiam an nitimur iram  
 Vincere iunctarum vi numeroque precum?  
 Vab! pietas humana tepet fugiente periclo,  
 Cor pauet aduersa sorte, fauente tumer.  
 Plebs, quidquid fuerat de ligno aut fruge relictum,  
 Protinus inuadit, coeca, proterua, fremens,  
 Seque sub occurſu premit, orget & implicat ipsam,  
 Et pars pro spolio vulnera sola refert.  
 Quis cobibere potest auidam, quis frugis egentem?  
 Vi ſolitam & poenis, non ratione, regi?  
 Illic foribus fractis, excuſſis ille fenestris  
 Inuolat, adſenſum ſcala furorque leuant.  
 Res a veſano vix diſcrepat illa tumultu,  
 Nulla magiſtratus frenat habena manum.  
 Cum vicina domus mibi ſit, cum proximus hortus,  
 Hac ruit vt torrens magna rudisque cobors,  
 Et gerulos quaerens ad tempus rapta relinquit.  
 Sic onerat noſtram res aliena domum.  
 Pars inter ſaccos frugum ſubiſſit & haeret,  
 Pars alia ad raptum nil ſatiata redit.  
 Mille pedes noſtrae conculcant germina Florae.  
 Haud aditum excuſant, laud reditumque ſuum.  
 Adſenſum & veniam praeceps occaſio ſpernit,  
 Perdere non tempus per bona verba decet.  
 Qui, quam plena mibi ſit frugibus area, cernunt,  
 Stant procul & clamant: hunc quoque rapta iuuant.  
 Hoſtis mane redit, cuius redit ebrius ad ſe.  
 Diſcutit inſauſtus ſomnia laeta dies.  
 Praeco voce minax auditur, perque plateas  
 Reſtitui a cunctis, quae rapuere, iuber.  
 Vae miſeris domibusque horum, ſi ſarra recondunt!  
 Qui ſpeculatum illuc mittitur, Argus erit.  
 Fortaſſis dubitas, vltro quae ceſſa fuerunt,  
 An ſaluo repeti dantis honore queant?  
 Parua mones, iuſſi iam lex: iam dormit honeſti,  
 Talia vincla ſui Mars negat eſſe fori.  
 Iuribus eſt belli ſplendens ſine lege potestas,  
 O Themis ad ſuperos, dum ſiſtis illa, redi.

Erri.

Frumenti saccis plus quam ter mille receptis  
 Pars parua est, clamant, maxima restat adhuc.  
 Sic est, pars perit laceratis undique saccis,  
 Frugesque effusas squalida forsit humus.  
 Perdidit & partem manus ipsa improvida cuius.  
 Vis collisa domum quid sine strage referi?  
 Quin ad paganos praedae pars transit ampla;  
 Ad nostra attentos fata fuisse liquet.  
 In panem & pulvis sunt prima impendia sacra,  
 Haec vix solata est curta farina famem.  
 Turbam inopum inprimis nox haec tam fausta refecit,  
 Rore tuo, fateor, France, refecta fuit.  
 At pluvia humectans sitientem adspergine terram,  
 Ipsa licet repetant coela, redire nequit.  
 Tu reperis, domum vestigans France recessus.  
 Quos penes, inquiris, sit fugitivus Ceres?  
 O mea ne dubites aperire domuncula cellas,  
 Admitte ad te celi culmina summa tui.  
 Adsunt, excutiant secessus, serinia, cistas,  
 Quid tunc? quod tam sis frugis egena, supent.  
 Cum nec frumenti proprii tibi spica supersit,  
 Sintque peregrini ne tria grana quidem.  
 Forte duos homines attentio parua sefellit,  
 Hos audici donis flectere forte duos.  
 Auso igitur numero viginti circiter adsunt;  
 Non oculi quatuor, quod quadraginta vident.  
 At decuplo maius nil vidit acutius agmen,  
 Nec mea raptorum est iam rea visa domus.  
  
 Multa nocent, prima quae nobis fronte videntur  
 Vitia: hic certe sunt mala nata duo.  
 Hoc, quod adest, audis oculis exponere totum,  
 Et secreta domus prodere quisque dolet.  
 Seque dolet nubem nunc pro lunone tenere,  
 Pro pingui cassam se reperisse nucem.  
 Nec sic, quam subit, noxam miser aestimat omnem.  
 Mox memor impensae plus sua damna gemit.  
 Miles enim adstiterat frumento ut mercibus, idque  
 Expressit, quod adhuc cuius habebat inops.  
 Nec latorum humeri, vigiles ad tempora lucri,  
 Dum nimis urgentur, quo decet, aere vacant.

Sic

Sic abit extremus, sumtus quoque mutus, ossis.  
 His quid versuris obtinere? nihil.  
 Nil non reddendum est, nisi quod gula protinus hausit.  
 Id nisi per vomitum reddere nemo potest.  
 Plura repascuntur, totum hoc consumere ventres,  
 Quod nondum rediit, tam cito posse negant.  
 Verum accensa fames sua non conuiuia tardat,  
 Farris nocturno est copia cocta foco.  
 Et quid sunt audis nisi frustra mimula panes?  
 Vix comedit vulpes tam cito molle pyrum.  
 Heu facies primi tam splendida visa lucelli  
 Quam nunc suco omni blanditiisque cares!  
 Horrendo effundis dona haec hostilia rictu,  
 Quae tua sunt & erant, sic velut illa, vomis.  
 Nam rapti proles omnis fere panis habetur,  
 Duraeque euadit vera rapina manus.  
 Quis, dum nos roties iterata examina lufrant,  
 Tandem iniustitiae terminus huius erit?

Laxatis miles frenis irrumpit in aedes,  
 Sive aurora rubes, hespere sive micas.  
 Nil refert, lecto recubet, cubitum an sit iturus  
 Cuius, &, ut licuit, clausit ante fores.  
 Aduersa scit parte domus irrepere miles,  
 Heus! adsum fruges quaerere iustus, ait.  
 Quae non sponte patent, diffringere claustra minatur,  
 Et crebro accusat clauis herique moram.  
 Perreptat latebras forulosque. Quid, obsecro, quaeris?  
 Granorum centum est vix locus ille capax.  
 Pergit, ut incepit, sursum mouet atque deorsum,  
 In cuncta iniiciens, sint quasi sarra, manum.  
 At forsitan manus haec, miscens licet ima profundis,  
 Ne quid obbaerescat, religiosa cauet.  
 Hoc caue, ne speres. Clam, quod sibi conuenit, aufert,  
 Saepe palam. An lucri nil ferat ille labor?  
 Dum globus vnus abit, venit alter, tertius inflat,  
 Deque die illuuiem ter videt vna domus.  
 Quis putet, his manibus commissum id muneris esse?  
 Has sibi permissas scire tenere modum?  
 Fex se diffundit Martis capite orba per aedes,  
 Hoc nutu standum est, his quasi praeda damur.

Nec

*Nec sua dona negat praetor post farra reperta,  
 Nec veniam, quoties nil reperere, negat.  
 Multa tamen miles corruptit, perdidit, hausit,  
 Vim magnam cuius saevitiamque tulit.  
 Praetori an referat? cuius iam nomine solo,  
 Plus visa vultus asperitate tremat.  
 Haud penitus desunt, in quos sua culpa recumbit.  
 Nam moniti pergunt abdere farra domi.  
 Esuriens a pane suo diuellitur aegre,  
 Quae cessum repetunt, sordida iura vocat.  
 Quod quis habet iusto titulo, quoque iure tuetur.  
 An peccat, ruto si regit illa loco?  
 Abdere velle caret probro, non posse dolendum est.  
 Fit monitore fame iustior ille dolor.  
 Sic ait. At vanum est niti ratione fameque;  
 Scire voluntatem pro ratione vides.  
 Qui nihil abdidimus, suspecti hinc reddimur, in nos  
 Inquisitorum crebra caterua ruit.  
 Sunt, qui ter decies excussi & atrociam multa  
 Passi de raptis occuluerunt nihil.  
 Umbra mouet culpae, vis imminet ecce duobus  
 Inter honoratos praecipuosque viros.  
 Vrbs stupet, adduci videt ad se curia, virtus  
 Prolem, ait, agnosco; reddite! sponsor ero.  
 Reddunt, verum alias vexat censura columbas,  
 Castellae missae tristitia jata riment.  
 Erinola iam laquei fingunt praesogiam poenam.  
 An culpam exilem tam grauis ira premat?  
 Monstro posteritas affine tribunal haberet,  
 Quod spoliare inopes & iugulare iubet.  
 Fas esset tumulo miserorum inscribere verba:  
 His far surreptum est, fracta deinde gula.  
 At iam fama refert, oppleto in carcere turbam  
 Proluere os vndis, pane nigroque frui.  
 Aggeribus positis repressa superbia fluctus  
 Languet, & in praefens, quae tumet vnda, cadit.  
 Mensis praeteriit, reducem quo vidimus hostem,  
 Laetaque discessus imminet hora noui.  
 Missa recollectae pars est ad castra farinae.  
 Colligo, qui mittunt, mox quoque velle sequi.*

Nam

Nam non militibus satis est, quod restat, alendis,  
 Et damna exhaustus reddere nescit ager.  
 Inque usus hiemis non inde cibaria vitae  
 Dura manus spondet, quae spoliavit eum.  
 Hoc igitur dubios, ut abirent, impulit hostes.  
 O bene! dant abitus Martia signa sui.  
 Ite, auferte nihil, nec ad arma gerenda redite!  
 Sic vos pace velint Numina nosque frui.  
 At quo venistis, maior non exstitit horror,  
 Quam quo deseritis moenia nostra die.  
 Quis focus ardescens caua terrae viscera rumpit?  
 Haec gravidum exonerant cunq̄ue fragore sinum.  
 Sulphureus surgit pastusque bitumine fumus,  
 Horrisono praegnavs fulmine cuncta ferit.  
 Aura fremit, partu monstroso terra debiscit,  
 In coelum eructat, quas gerit illa, faces.  
 Atra favilla oculos obvoluit grandinis instar,  
 O quam vim turris sede reuulsa tulit!  
 Quae fragmenta ruunt per tanta tonitrua motus  
 Ingenti in nostras mole rotata domus!  
 Ponderis interdum ter centum aequantia libras  
 E Vulcani antris eruta saxa cadunt.  
 Tegula quassa ruit domuum, fractaeque fenestrae;  
 Dimidia urbs queritur perdita, tota gemit.  
 Terroresque novos improvidus attulit error,  
 Incaute accenso miles ab igne perit.  
 Ecce iacent amplit prostrata cadavera campi,  
 Avulsa a truncis sparsaque membra iacent;  
 Nempe pedes, humeri, coxae, capita orba cerebro,  
 Viscera cum sanie, folliculique cutis.  
 Vidimus has laceras raptasque per aera partes  
 Ad pauidi cuius decubuisse fores.  
 Adque fenestram ipsam viduae pars appulit una,  
 A lecto referunt non cecidisse procul.  
 Corda reniiscunt, terror discessit & hostis,  
 Huius is incipiet terga viasque sequi.  
 Praeda manet quaedam, pars praestantissima lignum est,  
 Spes hiemis, quam vix silua recessa leuat.  
 Verum ut praedator praedam rapit Vngarus ad se,  
 Hic avidae rapiunt lege silente manus.

Noster

Noster iam remeat miles, Walthulius urbem  
 Laetitiae sensu candidiore replet.  
 Haec Deus Augusto nobis dedit otia mense,  
 Laeta simulque foris omnia, laeta domi.  
 Principis haeredis fausto tunc sidere nati  
 Illuxit votis mille petita dies.  
 Cui Ducis imposuit primum Carnubia nomen,  
 Moxque suum veteri Wallia iure dedit.  
 Coelitus excipiunt missum pia iúbila gentis,  
 Spem primam augustae deliciunq;e domus.  
 Quartus ab hoc Gottinga dies tua vincula rupit,  
 Ne tacito premeres gaudia tanta sinu.  
 Exornare vides superum quoque munera cunat,  
 Sub nostratum armis insula Cuba cadit.  
 Christophori sanum cadit ipso mense dieque  
 Quo dulci Genetrix prole leuata fuit.  
 Laurigerum caput hoc olim fore nascitur omem,  
 Has fore victrices classe marique manus.  
 Et quid tentassent natali hoc dignius arma?  
 India clauē suo iam spoliata gemit.  
 Idque animos etiam fastunq;e retundit Iberi,  
 Qui pacem exosus nubila Martis amat.  
 Obruere haud belli sed plus inflare fauillas  
 Borbonicaeque domus ausa fouere cupit.  
 Offensae fingit tenuem, nec suppedet, vmbra,  
 Aspera legati verba Britanne tui.  
 Oppugnant noua bella tuos Algarbia fines,  
 Nos contra quoniam foedus inire negas.  
 Hostibus at proprias exponit Iberia menses,  
 Anglus opes tollit de locuplete penu.

Plus, quae pacem optant, pia vota GEORGIVS audit,  
 Non id, quod tanto sanguine constat, amat.  
 Nec torum alliciunt lauri viridantis honores,  
 Nec Martis caussa pro meliore fauor.  
 Multum est, munitas urbes, se vincere plus est.  
 Victricem nouit Rex cobibere manum.  
 Cor veri heroes non implacabile gestant,  
 Parcere non probrum, perdere non decus est.  
 Hinc illos commune bonum prae mille tropaeis,  
 Et miserorum hominum plus mouet vna salus,

Haec



Haec immortalis nostrorum est gloria Regum.  
Marcidus hic nunquam flos pietatis erit.  
Stabit & his fulcris nostrae tutela salutis.  
Hanc iuuat imperii frena tenere Domum.  
Francia legatos & Magna Britannia mittunt,  
E prima eximios nobilitate viros.  
Hanc Bedfordus agit causam, Niuernius illam,  
Pacandae litis tentat uterque vias.  
O si blando animos coniungere glutine scissos,  
Mox totam Europam conciliare sciant!

Reddita nostra quies spes non inspirat inanem,  
Pacem ipsam celeri nunc pede posse sequi.  
Natalem Pindi celebrare per annua vota,  
Haud belli strepitus, sic velut ante, vetant.  
Nuper eum licuit festis ornare coronis,  
Pulsa Ceres his est, Musa recepta locis.  
Cum pompa ingressi & laetis concentibus aedem  
Egimus hos prisca religione dies.  
Suntque Deo grates vno ore ac corde solatae,  
Ac Regi, cuius nos tegit umbra procul;  
Qui rem restituit Fernando vindice nostram,  
Cuius & hostili fertur in ore decus.  
Nunc ubi Castellae vicinus tradidit hostis,  
Longius a nostro vertice fulmen abest.  
Mox quoque disparat totum sub mense Nouembris,  
Cedere ubi incipiant arma sagunque togae.  
Pacis & in sacro iam limine stare videmur;  
Vtraque subscripsit, quae tulit arma, manus.  
Vtraque ut Europam secum consopiat omnem,  
Communem impendet, cui Deus adsit, opem.  
Nos penes indictum est armis, ut utrinque quiescant,  
Utque suos repetant castra soluta lares.  
Et sic a tergo biceps mera nubila Ianus,  
Ante suos cernit cuncta serena pedes.  
Vrbs si spurcitiem detergit & incola mores,  
Cumque Deo in foedus nititur ire nouum;  
Et mercatores inbiant sine crimine lucro,  
Legumque ex prisca labe resurgit honos;  
Plenus aufugient tenebrae sub lumine pacis.  
Sic plandus inter vulnera clausa silent.

\* \* \*

Quae

Quae comes est huius, <sup>\* \* \*</sup> TRILLERE, molestia vitae,  
 Sat sumus experti, nunc meminisse iuuat.  
 Scimus, ut humanis obnoxia casibus esset,  
 Haec data vita Tibi est, haec data vita mihi.  
 Durari ad vultum fortunae utriusque decebat,  
 Quam bene ferre docet, qui dat utramque, Deus.  
 Temporis exigui, bene nouimus, aspera fors est,  
 Est quoque, quae splendet, temporis exigui.  
 Haud titubat virtus, his si radicibus haeret,  
 Quippe memor, lapsa nocte redire diem.  
 Dicit, si grauis est supra caput orta procella:  
 His non perpetuis irruet imber aquis.  
 Dicit, si fluctus nauem submergere tentant:  
 His mea iussa sūt currere cymba vis.  
 Omnia sint pelagus, quid tum? sint omnia syrtis!  
 Magnis seque minis efferat ira maris!  
 Ille tamen vigilat, qui molem sustinet orbis,  
 Hoc quis pacato est, quis vigilante miser?  
 Cernit, namque oculos, audit, nam condidit aures;  
 Audit & hos gemitus, has lacrymasque videt.  
 Auxilii tempus mea mens ne praeripe votis,  
 Saepe verecundo vota pudore carent.  
 Ecce diem docet ipsa dies, hora instruit horam.  
 Diuinam attentus sentit ubique manum.

Nos venerationem eam natali hoc mense benignam,  
 Quo vocat ad numeros tempora nostra novos.  
 Felicem ordimur, TRILLERE, quod ominor, annum,  
 Talis spero Tibi, talis eritque mihi.  
 Sive hac egredimur, sive in statione manemus,  
 Scimus, qui Pater est, iura salutis habet.  
 Pacis in has hodie terras noua dona redundant,  
 Auguror ad vestros cras properare lares.  
 Inque sinum Europae si mox ea tota recumbunt,  
 Postremum ac dignum Numine conde melos.  
 Non modo laetorum Te tunc pia corda mouere,  
 Cor quoque coelestis credo mouere Patris.  
 Quid vero exoptes ultra? tam pulchra coronis  
 Aeternum artificis condecorabit opus.

Sc. Göttingae A. R. S. CIOCCCXIII. die IV. Februarii  
 natali meo septuagesimo.

VD-18

ULB Halle 3  
006 817 750





AD  
VIRVM ILLVSTREM  
DANIELEM WILHELMVM  
TRILLERVM D.

VVM AVLICVM REGIVM  
PROFESSOREM PRIMARIVM  
MIA VITTEBERGENSI  
ERELA SEXTA  
VCVSQVE APVD NOS GESTI  
ALAMITATIBVS  
ACIS VSQVE AVRORAM  
ENESCENTIS ANNI MENSIBVS  
LVMINE EFFVLGENTEM

G. RICHTERI.

apsel 78 N 11 [10]

AK

